



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

XII. Vtrum species impressa Dei sit absolutè?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

Ad 6. Tam sententia affirmans, quam negans possibiliter elevationis purè extrinsecè ad operationes supernaturales est valde probabilis, & vtramque docent plures, & boni auctores; nentia verò, quantum quidem ego assequor, habet pro se rationem vllm. positivam satis efficacem. Quare transmissio antecedenti cum sua probatione, negatur absurditas eius. Quia licet intellectus, dum caret lumine supernaturali sibi intrinsecò, non sit proportionatus intrinsecè ad visionem Dei; dici tamen potest proportionatus extrinsecè ratione concursus divini specialis immediati supernaturaliter præparati iam à Deo. Nec apparet cur huiusmodi proportio non sufficiat intellectui ad eliciendam visionem Dei; dum non ostenditur alia ratione requiri lumen intrinsecum in genere causæ formalis ad videndum; sicut requiritur cognitio intrinsecè inhærens ad volendum, & simplex apprehensio ad indicandum. Id quod nemo huc usque satis efficaciter, aut probavit, aut impugnavit.

Art. 1. Ad 7. Visio intellectualis est species quædam cognitionis formaliter, aut eminenter iudicatur. Cognitio autem ex suo conceptu est representatio obiecti, cuius est cognitio, & quæ est indicativa, est specialiter supra se ipsam reflexiva, utpotè cognoscens, ac affirmans conformitatem sui cum eodem obiecto. De quo alibi cum D. Thoma expressè vtrumque docente. Rursus representatio causata ab obiecto representato per ipsam, eidemque conformis, est similitudo, & imago eius; utpotè derivata ab obiecto tanquam ab exemplari, atque ob hunc finem existens, ut ipsum representet, ac manifestet. Quatenus verò eadem representatio est reflexiva, modo illo speciali, supra se ipsam, habet rationem dictionis, & verbi respectu cognoscentis. Quia cognoscens eo ipso secum quasi loquitur, dicitque sibi obiectum tale esse, quale representatur per suam actum. Ergo visio Dei habet rationem similitudinis expressæ, & verbi mentis inæquati quidem, & imperfecti, modo nuper indicato, propriè tamen talis. Quod docetur clarè ab August. & D. Thoma locis in obiectione relatis, & alibi sæpè.

Art. 2. Verum quia similitudo, hæc, & verbum non est ut quod, habens rationem puri mediij, vtrumque, ut obiecti formalis motui, cognoscatur Deus, sicut est in se, sed solum ut quo, & per quod non casualiter, ac efficienter, sed formaliter representetur Deus; idque inæquatur, ac imperfectè; propterea cessat omne inconueniens obiectum in argumento. Unde negatur eius antecedens. Cuius probationes confundunt similitudinem formalem, ac intentionalem, eamque inadæquatam, & verbum, quo dicitur formaliter, ac representatur obiectum; possibilia utique respectu Dei, atque existentia de facto ex sententia Augustini, ac D. Thomæ; confundunt, inquam, cum similitudine obiectiva, & physica, nec non cum intentionali omnino adæquatâ, & eū verbo ut quod, seu in quo cognoscatur obiectum, ut est in se; quæ repugnant respectu Dei, ut dicitur in q. sequenti; eaque sola negantur à D. Thomæ; vbi cumque negat similitudinem creatam, & verbum mentis creatæ respectu Dei, ut ibidem manifestabitur, quantum sufficit. Hæc porro sola æquivocatio est origo totius hæc de re controversiæ inter Scotistas, & alios plures nobiscum loquentes, atque inter Thomistas nonnullos; & paucos alios contradicentes Scotistis:



QVÆSTIO XII.

Utrum species impressa Dei sit absolute possibilis, & existens de facto? atque indistincta realiter à lumine gloria?



DETUR non esse. 1. Quia repugnat qualitas essentialiter supernaturanea, seu quæ ex sua natura habeat ut nullam unquam possit præstare effectum formalem. Hoc enim perinde est, ac dicere, repugnare formam, cui repugnet intrinsecè, ut informet; siquidem informare nihil est aliud, quam præstare aliquem effectum formalem. Huiusmodi autem formæ repugnantia non indiget probatione; sicut nec repugnantia agentis, cui essentialiter sit nihil unquam agere. At species impressa Dei esset qualitas essentialiter supernaturanea, nullumque potens unquam præstare effectum formalem. Quia vnicus effectus formalis speciei impressæ est, reddere obiectum, cuius est species, proximè intelligibile, atque vltimò completum in ratione intelligibilis; Deus autem essentialiter est summè intelligibilis, & vltimò completus in ratione intelligibilis, non secus, ac in ratione intellectui, idèdque repugnat, ut per aliquid creatum reddatur proximè intelligibilis, & vltimò completus in ratione intelligibilis, & non secus, ac in ratione intellectui, idèdque repugnat, ut per aliquid creatum reddatur proximè intelligibilis, & vltimò completus in ratione talis; non minus, quam repugnat, ut per aliquid creatum reddatur proximè intellectui, seu proximè potens intelligere. Repugnat igitur species impressa Dei.

1. De conceptu speciei impressæ est, ut contineat adæquatè suum obiectum in ratione cognoscibilis: idèdque, ut gignere possit; quantum est ex se, cognitionem obiecti, quantum, & qualem gignere potest idem obiectum per se ipsum, atque ut hoc præstare possit, siue adit re ipsa, siue non adit idem obiectum, vel absolute in rerum natura, vel intra spheram potentia cooperantis speciei. Quæ omnia constant ex communi consensu auctorum circa naturam speciei impressæ, & confirmantur præterea efficaciter inductione facta per omnes species impressas, quas certè nominamus, aut existentes, aut possibiles. Cum ergo Deus sufficiat, quantum est ex se, suo concursu obiectivo immediato, ad comprehensionem sui, & ad visionem beatificam; sufficiens utique esset ad hæc ipsa præstanda se solo aliquid creatum, quantum est ex se; eaque perfectè præstaret, tamen per impossibile supponatur Deum non existere: si esset possibilis species impressa creata Dei ut est in se. Quod tamen consequens est manifestè absurdum.

2. Impossibilis est qualitas vicaria Dei, quatenus valentis concurrere immediatè per se ipsum in ratione causæ primæ, ac vniuersali ad omnes & singulos effectus causarum secundarum. Ergo repugnat similiter qualitas Vicaria Dei, quatenus valentis concurrere immediatè per se ipsum, in ratione obiecti formalis motui, ad visionem sui. Antecedens est indubitatum apud omnes, & meritò, Patet consequentia, tum negatiue, quia nulla est assignabilis ratio differentia; tum positiue, quia non est minor perfectio

fectio Dei, quatenus valentis exhibere concursum obiectum immediatum in visionem sui, quam quatenus valentis exhibere concursum vniuersalem immediatum. Vterque igitur iste concursus est a quē insupplebilis per aliquid creatum.

4. Impossibilis est species obiectiua creata, in qua tanquam in medio, & motu formali, cognoscatur Deus, sicut est in se, atque adeo videatur perfecte, ad eum ferē modum, quo creatura videntur in Deo à Beatis. Ergo etiam est impossibilis species impressa creata effectiua visionis immediatæ Dei, vt est in se. De antecedenti non dubitatur inter Catholicos. Patet consequentia. Quia species impressa effectiua visionis immediatæ Dei, vt est in se esset perfecte similis Deo, vt potē effectiua perfectæ similitudinis formalis Dei; quatenus talis; & præterea est de conceptu vniuersali speciei impressæ, vt sit eiusdem ordinis & perfectionis in genere intentionali cum suo obiecto; Quidlibet autem est cognoscibile perfecte secundum suum conceptum quidditatum, vt est in se, ex vi obiecti motui perfecte similis ipsi. Hac enim de causa homo in homine, & quidlibet in quolibet alio eiusdem infimæ speciei, est cognoscibile quidditativē.

5. Pro cognitione obiecti ex se intelligibilis, atque intimē præsentis cognoscendi, non est necessaria, nec datur ex natura rei species impressa; tamen si obiectum sit absolute capax, quod producat speciem impressam propriam sui. Hac enim de causa Angelus non indiget, nec vitur specie impressa ad cognitionem sui, tamen si possibilis absolute ea sit, deturque de facto in mentibus aliorum Angelorum. Deus autem est immediate intelligibilis ex se, & est intimē præsens omni intellectui. Ergo ad cognitionem, & visionem eius, nulla est necessaria species impressa, nec est admittenda existens connaturaliter, & de facto; tamen si absolute esset possibilis. Confirmatur, quia species impressa communiter definitur qualitas vicaria obiecti. Innaturale autem est, vt quod est præsens, & facile, ac perfecte potest præstare immediate per se, quod spectat ad ipsum; vtatur nihilominus Vicario.

6. Species impressa tenet se ex parte obiecti; lumen verò gloriæ ex parte intellectus. Illa deservit ad conferendam cognitioni rationem similitudinis, & imaginis obiecti; istud verò ad supplendum defectum proprium intellectus insufficientis ex se ad producendum actum adequatē supernaturalem, adeoque non contentum in actiuitate naturali intellectus, etiam quoad ea prædicata, quæ intellectui, & non obiecto, formaliter correspondent. Ergo species impressa ad visionem Dei immediatam dicenda est distincta realiter à lumine gloriæ, tamen si ea admittatur possibilis, & actu existens.

Confirmatur primò quia voluntas ad dilectionem, & fruitionem beatificam non sola indiget visione beata, quæ allicit, & monet ex parte obiecti, ideoque correspondet quodammodo speciei impressæ. Sed indiget præterea habitu charitatis iuvante insufficientiam potentie volitivæ naturalis secundum se. Intellectus autem comparatur cum visione, sicut voluntas cum dilectione, & fruitione. Confirmatur rursus, quia lumen gloriæ succedit habitui fidei, nec aliter illud iuvat ad videndum Deum, quam iuvat hic ad credendum Deo. Habitus autem fidei distinguitur ab speciebus impressis obiectorum terminantium actus fidei; patet vt in pueris baptizato præhabente habitum fidei, & tamen incapaci credere vsque dum acquirat species credendorum. Ergo,

7. Necessitas, & existentia luminis gloriæ est certa ex fide; cum non solum existentia, sed & possibilitas speciei impressæ Dei sit valde incerta, & negetur à plerisque Theologis. De quibus, quis credat, aut dicere audeat, idem eos sub diuersis vocibus affirmare tanquam certum ex fide, simulque negare, & dicere chimæricum, & repugnans? Ergo species, & lumen non sunt idem.

Art. 1. Respondetur. Species intellectualis, seu iuvans intellectum, ad actum intelligendi alia est obiectiua, & in qua; alia impressa, & qua. Species obiectiua, & in qua, dicitur, quæ quatenus cognita immediate, & ratione sui, confert, & ducit ad cognitionem mediatam obiecti, cuius est species. Quo pacto Deus communiter dicitur videri à viatoribus in species, & in speculo, & nondum facie ad faciem. Quia nimirum videtur solum, & apparet in creaturis quatenus cognitæ immediate ratione sui. Species impressa, & qua, dicitur, quæ independentem à cognitione sui saltem immediatam, & ratione sui, confert, & ducit ad cognitionem obiecti; cuius est species; iuvando nimirum intellectum non per motionem obiecti, simulque terminatam cognitionis, sed per cooperationem solum in genere causæ efficientis.

Art. 2. Quæstio de specie obiectiua creata ad videndum Deum est summi momenti. Quia hinc dependet, An Deus solus per se ipsum sit obiectum beatificum; an potius aliquid creatum? Omnis namque cognitio specificatur ex suo motu formali; & obiecto immediato, atque ab eo accipit totam suam perfectionem peculiarem. Illud verò obiectum est beatificum, ex quo specificatur, & desumit suam perfectionem peculiarem cognitio beatifica. Quam ob rem Alensis, D. Thomas, & alij antiquiores magni Theologi locis indicatis à Falolo quæst. 12. art. 2. dubit. 10. & 31. præcipue, ac ferē vnicè egerunt de specie ista obiectiua, eamque reiecerunt vsque adeo efficaciter, ad profligandum errorem supra memoratum Armarum de visione Dei in radio, seu fulgore quodam emananti ex ipso, vt nulla deinde ratio ea de re dubitandi superferret posteris, vt, insinuat ad 4.

Art. 3. Quæstio verò de specie impressa Dei, vt possibili, siue vt existenti de facto, non est tanti momenti, saltem directæ, ac immediatæ; dummodò retineatur necessitas, & existentia luminis gloriæ. Vtrius enim modo de illa statuatur, hoc retento; retinetur insufficientia natura ad visionem Dei, vt patet; & tribuitur essentia divinæ ratio formalis motui adequati, ac immediati respectu visionis beatificæ, vti Paulo post apparebit. His autem duobus præhabitis, quod reliquum est de specie Dei, ferē totum est Philosophicum, & pertinet ad cognitionem naturæ, muneris, & perfectionis, quæ sunt propria speciei impressæ, vt sic & in communi, & ratione quorum ipsa est necessaria, ac utilis intellectui respectu cuiusque obiecti, siue creati, siue increati. Nihilominus posteriores Theologi, maxime verò omnium postremi, magno hinc & inde conatu incubuere in examen speciei impressæ Dei, ea fortassis potissimum de causa, quia nihil satis clare, & efficaciter demonstrari de illa potest; & facile est, circa tale regum genus, multa cum specie novitatis, & acuminis producere, atque multiplici impugnatione in aliorum, & sententias, & probationes & probationum impugnationes grassari. Quibus quam plurimum delectantur plerique moderni

moderni, sicut pueri magnis, & inanibus sudoribus.

Artic. 4. Vtūque hoc habeat; speciem impressam Dei negant possibilem Gignados, Attribal, & plures alij cum Thomistis; existentem verò, admissa possibilitate, Suarez, Molina, Valentia, & plures alij. Affirmant è contra possibilem, & existentem de facto, atque indistinctam realiter à lumine gloriæ Vasquez, Smiling, Alarcon, Gaspar Hurtado, Bernal, & alij apud ipsos. Quæ posterior sententia videtur probabilior, & absolute vera. Et quidem lumen gloriæ esse qualitatem supernaturalem creatam intrinsecè inherentem intellectui Beati, tametsi Durandus, & nonnulli alij in dubium renocare voluerint, iam tamen est apud omnes Theologos omnino indubitatum; nec ea Durandi contraria opinio reputatur satis tuta in fide, atque Catholica. Quia Concilium Viennense relatum in Clementina ad nostrum de hæreticis, dum condemnat istam propositionem: *Anima non indiget lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum*; vsurpat lumen gloriæ eo procul dubio sensu, qui erat in vsu apud Doctores Catholicos, qui semper sub ea vocè intellexere qualitatem intrinsecè inherentem videnti. Atque alias sensus realis Concilij, fuisse animam indigere Deo, & nullo alio, ad videndum Deum. Qui tamen sensus est valde, vt per se patet, absurdus, & nihil conferens ad punctum controuersum, vel etiam controuertibile cum hæreticis. Eadem absurditas inesset illis ex Psalm. 35. 10. *In lumine tuo videbimus lumen*, & Apoc. 21. 23. *Claritas Dei illuminauit eam*; societatem Beatorum. Inesset inquam, absurditas; Si claritas Dei, & lumen Dei Deum ipsum vtrouique, & non aliquid creatum beatis mentibus infusum, reipsa significaret. Quapropter à D. Thoma & ab alijs communiter subintelligitur in his duobus testimonijs, debetque omnino subintelligi lumen supernaturale creatum.

Artic. 5. Accedit, ad actus charitatis, aliisque omnes supernaturales proprios voluntatis; nec non ad actum fidei conferri à Deo, & esse necessarios ex natura rei, habitus supernaturales inherentes intrinsecè operanti, vt apparet ex quæst. 2. de Virt. Theolog. Quidam ergo concedatur etiam habitus supernaturalis intrinsecus ad visionem Dei? Imò est maior ratio, vt detur talis habitus, & virtus operatiua intrinsecè inherens ad actum beatificum visionis Dei; tum quia quò effectus est magis supernaturalis, magisque perfectus; eò magis insufficientia naturæ indiget comprincipio intrinseco perficiente, ac eleuante ipsam; atque visio beata est operatio summa ideòque maxime omnium supernaturalis: tum quia quælibet causa eò nobilior, ac gloriosior operatur, quo magis operatur ab intrinseco, maiori-que cum sufficientia sibi intrinseca: decet verò, vt operatio, quæ est ipsa gloria, & culmen nobilitatis, exerceatur nobilissime, ac gloriosissime, atque ideò cum comprincipio intrinseco eleuante, & conferente sufficientiam, quanta possibilis est respectu ipsius. Certum itaque est infundi Beatis, nec fieri potuisse ex natura rei, vt non infunderet Deus qualitatem supernaturalem effectiuam visionis immediatæ Dei, & eleuantinam intellectus ad ipsam. Quæ qualitas dicitur, & est lumen gloriæ.

Art. 6. Iam verò istiusmodi qualitatem esse indistinctam realiter ab specie impressa Dei, neque aliud quidquam esse posse, suadetur primum ex principio vniuersali, quod stabilietur ex professo in qq. de Sacramentis. Nimirum nullam causam, siue efficientem, siue materialem esse eleuabilem diuinitus, præterquam ad effectus, & formas specialiter affines

R.P. Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

effectibus, & formis sibi connaturalibus, & promotionibus eorundem intra proprium cuiusque genus, & perfectionem peculiarem. Quo supposito ex dicendis ibi, clarè apparet intellectui sola specie impressa Dei, nullaque alia qualitate esse inuabilem, ac eleuabilem diuinitus ad visionem Dei. Certum siquidem est, intellectum solis speciebus impressis, nullaque alia qualitate, ac forma inuari, & perfici in ordine ad cognitiones sibi connaturales. Ergo, lumen gloriæ, quò de facto inuatur, ac eleuatur intellectus Beati ad visionem Dei, nihil aliud esse potest, quam species impressa Dei.

Art. 7. Confirmatur. Ideò intellectus est eleuabilis ad visionem Dei, quæ est perfecta ipsius cognitio, quia naturaliter elicit cognitionem Dei abstractiuam, quæ est imperfecta eius cognitio; potentia verò visiva materialis non est eleuabilis ad eandem Dei visionem, quia nullam Dei cognitionem efficere, aut accipere naturaliter potest. Quæ est ratio discriminis assignata suprâ q. præc. ad 3. & communiter à Theologis approbata vniçè. Ergo cum intellectus sit naturaliter expers omnis luminis distincti ab speciebus impressis obiectorum, non secus, ac potentia materialis visiva est naturaliter expers omnis cognitionis circa Deum; erit profecto intellectus similiter ineleuabilis ad lumen, & per lumen distinctum ab speciebus; non secus, ac potentia materialis visiva est ineleuabilis ad Dei, rerumque aliarum spiritualium cognitionem, siue elicendam, siue recipiendam. Nempe ubi est eadem discrepantia, atque totalis exorbitantia rei ordinis supernaturalis à rebus ordinis naturalis respectu cuiusque potentia, non potest non esse eadem eiusdem potentia incapacitas Metaphysica, ac totalis ad talem rem supernaturalem; vtpotè non promotiuam ordinis naturalis intra genus suum, sed habentem se impertinenter ad hunc ordinem ideòque superuenturam potentia naturali, nulla præsupposita, ex parte ipsius, capacitate naturali respectu sui.

Art. 8. Probatum idem rursus ex natura intellectus, Intellectus enim ex suo conceptu est potentia purè assimilatiua, solumque effectiua similitudinum, & imaginum formalium omnis generis obiectorum. Quapropter à Philosopho, & ab alijs communiter dicitur potentiam intellectiuam esse quodammodo omnia; quatenus potest induere facies, & quasi colores, ac lineamenta rerum omnium; adiungendo sibi earum omnium similitudines, & imagines. Potentia autem hoc modo assimilatiua, & ad nihil aliud habens vllam intrinsecam habilitatem, & capacitatem, solum potest inuari, ac promoueri in opere suo per comprincipia ex suo conceptu pariter assimilatiua, atque ideò contentiua, in hoc genere, eorum specialiter obiectorum, ad quorum cognitiones inuari, ac promoueri absolute potest per eadem comprincipia: sicut corpus vt plus, aut velocius ascendat, vel descendat ad rationem suam solum inuari potest maiori, ac perfectiori gravitate, & lenitate; & sic de similibus proportionaliter, absque vlla exceptione. Comprincipium autem ex sua natura specialiter assimilatiuum, respectu alicuius obiecti solus, potest esse species impressa. Quæ videlicet sola est ex suo conceptu contentiua intentionaliter huius, vel illius obiecti in particulari. Ergo lumen gloriæ, quò specialiter inuatur, ac promouetur intellectus ad visionem Dei; id est ad perfectam ipsius, seu ad minus imperfectam similitudinem, ac imaginem formalem, nihil aliud esse potest, quam species impressa Dei, quæ videlicet sola potest esse contentiua specialiter ipsius in genere intentionalis.

Artic. 9. Confirmatur. Quia species impressæ reatum creaturarum eatenus præcisè possunt inuare intel-

B

lectum;

leatum; atque perducere ad cognitionem abstractivam, & ænigmaticam Dei, quatenus continent intentionaliter res ipsa creatas, quæ sunt similitudines physice Dei, ac proinde continent in se intentionaliter ipsum etiam Deum, non secundum se, sed propter participatum à creaturis; atque præscindendo ab huiusmodi intentionali continentia, nihil prorsus conferre possent ad cognitionem abstractivam Dei. Ergo neque lumen gloriæ posset quidquam conferre ad visionem, & cognitionem perfectam Dei, si Deum ipsum secundum se non contineret in se intentionaliter in actu primo, tanquam ipsius similitudo intentionalis virtualis. Quod quidem pertinet ad conceptum proprium, & differentialem speciei impressæ respectu cuiusque obiecti, ut est in se. Ergo lumen gloriæ, si non esset species impressa Dei, ut est in se, nihil conferre posset ad visionem Dei, ut est in se.

Art. 10. Probatur denique. Quia si Deus, per se ipsum exhiberet cōcursum obiectivum immediatum, & ut quo, & ut quod, respectu visionis beatæ: eo ipso superflueret lumen gloriæ inhaerens intrinsicè intellectui Beati, & consequenter non daretur de facto. Et similiter, si ponatur Deus, per possibile, vel impossibile infundere Beato speciem impressam sui, ut est in se: superflueret eo ipso omnis alia qualitas iuvans beatum ad visionem Dei, & consequenter nulla talis qualitas daretur de facto. At non est superfluum lumen gloriæ, daturque de facto. Ergo Deus nec exhibet, per se ipsum, concursum obiectivum immediatum, ut quo, & ut quod; nec infundit Beato qualitatem ullā adiutricem ex parte actus primi distinctam ab specie impressa. Probatur sequela maioris. Quia ad cognitionem abstractivam naturalem Dei ex creaturis, non indiget, nec utitur intellectus ullo adiutorio distincto à concursu obiectivo immediato, aut à specie impressa eandem creaturarum. Ergo neque ad cognitionem immediatè intuitivam Dei, ut est in se, indigeret, aut uteretur idem intellectus adiutorio ullo distincto à concursu obiectivo immediato Dei, aut à specie impressa ipsius, ut est in se.

Art. 11. Ratio huius paritatis est. Quia si principio elevabili ab effectu connaturali ad effectum supernaturalem, tanta fiat proportionalis additio perfectionis ex parte principij supernaturalis ultra perfectionem principij connaturalis, quanta facienda est additio ex parte effectus supernaturalis ultra perfectionem effectus connaturalis; eo ipso principium naturale redditur adequatè sufficiens ad effectum supernaturalem; & quidquid ulterius superadditur, erit superfluum, & consequenter impossibile ex natura rei. Concursus autem obiectivus præstitus à Deo, vel per se ipsum immediatè, vel per speciem impressam propriam ipsius secundum se, tantundem superat, excessu perfectionis, concursum obiectivum præstitum à creaturis, vel per se ipsas immediatè, vel per species proprias ipsarum, quanto excessu perfectionis superat visio immediata Dei cognitionem abstractivam eiusdem: quandoquidem, in prioribus utriusque comparationis extremis proficit excessus eodem proportionaliter modo ab excessu Dei supra creaturas. Superflueret ergo lumen gloriæ, nec posset existere ex natura rei; si vel existeret species impressa propria Dei distincta realiter ab illo, vel Deus per se ipsum immediatè, exhiberet concursum obiectivum in visionem sui. Non autem superfluit lumen gloriæ, & datur de facto. Ergo est indistinctum realiter ab specie impressa propria Dei; nec Deus immediatè per se ipsum concurret obiectivè, ut quo, & ut quod, ad visionem beatificam.

Ad 1. Est quidem Deus summè intelligibilis essentialiter, atque ultimò completus in ratione talis præcisè per se ipsum respectu sui, non tamen respectu intellectus creati, saltem ex natura rei. Quia intellectus creatus indiget, saltem ex natura rei, forma intrinsicè inhærente, disponente, ac elevantè ad visionem Dei. Quod cum species impressa Dei præstare possit, Deus verò immediatè per se ipsum præstare non possit, utpotè pertinens ad genus causæ formalis; patet speciem impressam Dei non esse essentialiter superuacaneam, sed potius necessariam, saltem ex natura rei, ad visionem creatam Dei, propter perfectionem intellectus creati coniunctam cum perfectione propria status beatifici.

Art. 1. Ad 2. Res creatæ concurrunt ad cognitionem sui, quantum possunt, siue concurrant per se ipsas immediatè, siue per species impressas. Quia essentialiter sunt ordinatæ ad manifestandam gloriam Creatoris, quantum possunt; idque præstant per cognitionem sui. Eam proinde gignunt, quantum est ex se, omnino comprehensivam, si non obstat imperfectio intellectus, cui cooperantur. Quapropter Deus etiam debet necessariò communicare unicuique intellectui creato cognitionem, & visionem sui, quantum absolutè communicare potest, siue per se immediatè, siue per speciem sui concurret ad illam obiectivè; si teneret inductio ex creaturis respectu Dei. Sed non tenet. Quia visibilitas immediata Dei est sufficientia ipsius ad beatificandas substantias intellectuales creatas, iuxta mensuram, vel meritum cuiusque, vel voluntatis suæ purè gratiosæ. Unde sicut ad perfectionem specialem Dei, dominique divini spectat, ex sententia etiam adversariorum, ut concurret cum unoquoque plus, vel minus, pro ut ipsi placet, & congruit, siquidem obiectivè concurret immediatè per se ipsum solum: ita spectat ad eandem perfectionem specialem Dei, ut speciem impressam sui communicet unicuique plus, vel minus intensam, maiorisque, aut minoris sufficientiæ, iuxta eandem mensuram: nulli verò communicet, aut communicare possit speciem, quæ quantum est ex se, sufficiat ad comprehensionem ipsius Dei. Quia comprehensio Dei, & sufficientia ad ipsam, excedunt limites felicitatis creatæ, multò verò magis meritum creaturæ.

Art. 2. Transmisso itaque, quòd sit de conceptu speciei impressæ obiecti creati, ut sufficiat, quantum est ex se, ad comprehensionem ipsius; negatur ad ipsum esse conceptum speciei impressæ, ut sic, & ut complectitur speciem etiam Dei, propter rationem, & paritatem datam. Conceditur præterea consequenter, tam perfectè cognosci posse Deum ab intellectu creato cum specie impressa ipsius, quam cum concursu obiectivo immediato eiusdem. Verum sicut hic concursus potest esse, seu posset esse maior, & minor; ita species potest esse magis, & minus intensa; & utrovīs modo peræquè potest visio Dei evadere magis, & minus intensa, ac perfecta.

Articul. 3. Casus, qui fingitur, absentia obiecti formalis motui repugnat specialiter speciei impressæ Dei, propter essentialē dependentiam ipsius à Deo, ut à causa sua, tum universalī, tum particulari. Deinde species impressa habet ex suo conceptu rationem instrumenti respectu obiecti, cuius est species; & comparatur cum intellectu, ad eum ferè modum, quo comparatur cum voluntate cognitio finis. Unde assimili ratione repugnat speciei impressæ, & cognitioni qualicunque Dei, ut inducant se solis actus beatificos visionis,

nis, & fruitionis Dei, quin Deus ipse ad eos concurrat, quod tanquam motuum formale immediatum ipsorum. Demum casusculi euentuum eiusmodi impossibilia possunt ab vnoquoque fingi, & retenta consequentia determinari, vt libet, absque præiudicio veritatis; cum ex impossibili sequatur quidlibet re ipsa.

Ad 3. Non opus est multis. Ponatur, pro veritate antecedentis, quodlibet fundamentum ad arbitrium obiectantis; & illud ipsum erit ratio discriminis pro consequenti. Nunquam enim fieri poterit, vt concessio dependentiæ immediatæ à Deo fundata in imperfectione entis creati vt sic, sit ratio æquæ conueniens dependentiam immediatam; & adæquatam à Deo. quoad rationes alias magis particulares, quatenus tales. Deinde intellectus indiget, & est capax, vt perficiatur intrinsecè ad rationem particularem propriam suæ operationis, vt dictum est; non tamen est capax, ac proinde nec indiget, vt perficiatur intrinsecè ad rationem communem entis creati, quæ non continetur intra spheram intellectus, quæque formaliter correspondet concursui vniuersali, vtpotè transcendenti omnes causalitates omnium, & singularum causarum secundarum. Quod dicitur de æquali perfectione vtriusque concursus diuini, nihil probat. Quia omnis concursus diuinus immediatus est prorsus idem, ex parte actus primi. & ex parte actus secundi, non spectatur, pro concursu vniuersali, perfectio prædicati producenti, sed imperfectio causæ secundæ essentialiter dependentis, qua causæ secundæ est, à cooperatione causæ primæ. Falsò denique supponitur concursum obiectum immediatum vt quo, respectu visionis Dei, spectare ad Deum ipsum ex natura rei, sicut spectat concursus vniuersalis immediatus. Quia superiora nostra argumenta, vt minimùm, probant non posse, saltem ex natura rei, exhiberi illum à Deo per se ipsum immediatè. Vnde paritas obiectantis non magis tenet contra nos circa speciem impressam Dei, quàm contra obiectantes ipsos, omnesque alios, circa lumen gloriæ, & circa quodlibet aliud principium accidentale conferibile substantiis creatis; idèoque nihil absolute conuenit.

Ad 4. Neque species impressa, neque expressa est æqualis perfectionis cum suo obiecto, ex conceptu suo. Quia neutra est similitudo physica obiecti, sed solum intentionalis; illa virtualis, hæc formalis; id est, est similitudo diuersi, & generis, & ordinis, atque analogicè tantum eiusdem. Vnde est indifferens, ex suo conceptu, ad excessum, & inferioritatem perfectionis ex parte vtriusque extremi, & repugnans æqualitati physice inter vtrumque. At species obiectiua, id est, obiectum formale motuum cognitionis, cum sit specificatum ipsius, & conferens illi, vt quod, seu tanquam causa principalis, perfectionem suam peculiarem; oportet, vt contineat in se formaliter, vel æquiualem in proprio genere, perfectionem propriam obiecti materialis, cuius peculiarem, & quidditatuam cognitionem gignere valet. Quod cum repugnet cuilibet rei creatæ respectu Dei, vt est ex se satis manifestum, & demonstrat clarè D. Thomas quæstione 12. art. 2. & quidem rationibus nihil omnino concludentibus contra speciem impressam Dei, vt vel leuiter consideranti facile apparet, & ostendit inter alios Fasolus dubit. illa 11. atque à nobis obseruabitur circa 7. constat rationem discriminis esse innegabilem; neque cognitionem, cuius motuum formale immediatum, seu species obiectiua esset species impressa, aut visio Dei, fore tam per-

fectam; ac est visio ipsa immediatè terminata ad Deum, ipso solo mouente ad illam immediatè, atque specie ipsius impressa cooperante tantum efficienter, & non nisi instrumentaliter, & vt quo.

Ad 5. Deus, non obstante vniformitate, tum suæ præsentia localis ad omnes causas secundas, tum sufficientia suæ adæquatæ, ad quosvis earum effectus possibiles; concurrat nihilominus cum singulis ad particulares effectus, vel hos, vel illos, iuxta dispositionem intrinsecam ipsarum, & iuxta exigentiam concursus diuini fundatam in eadem dispositione; nec oppositum fieri potest ex natura rei. Non igitur sufficit, saltem ex natura rei, Deum esse localiter præsentem intellectui creato, vt concurrat cum eo ad visionem sui immediatam; sed insuper requiritur, vt disponatur, ac perficiatur intrinsecè intellectus in ordine ad eandem visionem. Quod per solam speciem impressam Dei fieri potest, vt ostensum est supra. Audiatur insuper D. Thomas quæst. 10. de Verit. art. 11. ad 11. *Quamvis diuina essentia sit præsentis intellectui nostro, non est tamen ei conueniens, vt forma intelligibilis, quam intelligere possit, quamdiu lumine gloriæ non perficitur, ipsa enim mens non habet facultatem videndi Deum per essentiam, antequam prædicto lumine gloriæ illustretur.* Cuiusmodi vtiq; illustratio, & nihil aliud, est munus proprium speciei impressæ. Paritas ex cognitione Angeli erga se, absque specie impressa sui, idè non tenet; quia Angelus non solum localiter est sibi præsens, sed præterea communicat se sibi intrinsecè per identitatem realem, quæ est summa communicatio perfectiua. Essentia verò diuina non est per se ipsam, præcisè communicatio sui, intrinsecè perfectiua; & specialiter dispositiua intellectus creati, vt patet.

Artic. 1. Ad 6. Species impressa non dicitur se tenere ex parte obiecti, quasi adiuvans actiuitate, & cooperatione sua actiuitatem, & operationem immediatam obiecti; quæ videlicet ab eo minimè exercetur, cum datur species; quare in hoc genere species impressa se tenet præcisè parte intellectus; cuius videlicet solam actiuitatem, & operationem immediatam iuvat actiuitate, & cooperatione sua. Igitur species impressa tenet se ex parte obiecti in genere causæ formalis, quatenus est similitudo intentionalis virtualis ipsius, estque instrumentum eiusdem ad iuuandum intellectum in sua operatione. At in genere causæ efficientis tenet se præcisè ex parte intellectus, non secus ac se tenet, ex parte voluntatis, habitus charitatis. Quapropter eadem re ipsa indubitabilis qualitas dicitur species relatè ad obiectum, quod præ se fert, seu cuius est similitudo; lumen verò, relatè ad intellectum, quem iuvat ad videndum, & illustrat, atque confortat: sicut idem modus dicitur actio, & passio, relatè ad agens, & passum: eadem gratia habitualis dicitur adoptio, & puritas, atque sanctificatio, relatè ad Deum, & hominem: Idem actus charitatis amor, & odium, relatè ad Deum & peccatum; & sic de aliis eiusmodi. Hoc igitur, quod species impressa se teneat ex parte obiecti, est pura quedam æquiuocatio, & fallacia figuræ dictionis.

Artic. 2. Ad primam confirmationem. Potentia pendens à priori alia potentia, indiget pluribus ad suam operationem siue naturalem, siue supernaturalem perfecte exercendam; nempe iisdem proportionaliter, quibus indiget potentia natura prior, & insuper operatione, seu effectui eiusdem potentia natura prioris. Hinc voluntas etiam in ordine naturali;

ultra cognitionem subministratam ab intellectu, utitur habitibus conferentibus ipsi facultatem suavitatis, delectabiliter, ac spermanenter operandi. Quæ circumstantia est propria, & peculiaris huius potentiae. Idem consequenter contingit in ordine supernaturali, propter necessariam ordinis naturalis imitationem superius observatam in ipso, & exponendam specialiter quoad hoc punctum, qq. de Habitibus.

Art. 3. Ad posteriorem confirmationem. Ex secunda nostra probatione art. 8. & 9. apparet omnes habitus intellectuales, atque adeo, & habitum fidei, esse indistinctos ab speciebus impressis. Verum, Quia ad actum fidei, præter speciem impressam auctoritatis, locutionisque divinæ indistinctam ab habitu fidei, sunt necessariae species impressæ credibiliū, & credibilitatis, nec non actus phantasie, & simplices apprehensiones illis correspondentes; propterea non potest credere paruulus præhabens habitum fidei, donec ea omnia acquirat dependenter à sensibus.

Art. 1. Ad 7. Quis nescit existentiam auxilij efficacis; gratiæ habitualis, vñionis hypostaticæ; huiusque ipsius, de qua agitur, visionis, certam ex fide; simulque controuersam indistinctionem eorum à physica prædeterminatione; ab habitu charitatis; ab entitate modali; à similitudine expressa; à verbo mentis; & sic de alijs quàm pluribus? Similiter ergo in præsentī definitū est à Concilio Viennensi, sub nomine, & conceptu luminis gloriæ adiutoriū supernaturale necessarium ad videndum Deum, relicta simul Theologis libertate examinandi eius naturam, & munus, sub alijs vocibus, atque conceptibus, ideoque negandi sub illis eandem realiter, seu materialiter entitatem, quam necesse est affirmare sub priori voce, & conceptu. Quod nullius est incompmodi, attenta imperfectiōne, tennitate, & inadæquatione intellectus humani, maximè respectu rerum supernaturalium.

Articul. 2. Quod additur, negari à plerisque Theologis speciem impressam Dei, ut est in se; verum est; sed dissident vsque adeo inter se, sibi que inuicem displicent quoad fundamenta, ut scilicet ipso rum mutua censura videantur non tanti faciendi in hac re. Præterea plerique eorum admittunt speciem expressam Dei, quæ negari nequaquam debet, ut in quæstione præcedenti ad 7. breuiter, sed efficaciter ostensum est. Admissa autem ea specie, committitur inconsequentia nimium manifesta in neganda specie impressa, saltem ut possibili; vtpotè imperfectiori intra idem genus. Deinde sunt etiam satis multi auctores pro nostra sententia. Et quod caput est; illi potius fauet, quàm oppositæ, D. Thomas. Quam in rem libet aliqua ex ipso obseruare, ac breuiter expendere.

Artic. 3. Adscribit imprimis sæpè D. Thomas luminis gloriæ similitudinem Dei; intentionalem utique, & effectiuam; cum similitudo purè physica cum Deo communis rebus omnibus creatis incongruenter, ac perperam toties in illo obseruaretur, tanquam quid peculiare. Eiusmodi autem similitudo est vnica differentialis ratio speciei impressæ ab alijs qualitatibus, ut liquet ex principio tradito ab eodem S. Doctore infra quæstione 85. articul. 8. ad 3. *Similitudo ait, per quam intelligimus, est species cogniti in cognoscente.* Audiatur iam in ista quæstione 12. art. 2. ad medium. *Requiritur ergo ad videndum Deum aliqua Dei similitudo ex parte potentie visus, qua scilicet intellectus sit efficax ad videndum Deum.* Est autem efficax per lumen gloriæ. Vnde in fine cap. *Dicendum ergo concludit, quod ad videndum Dei essentiam requi-*

ritur aliqua similitudo ex parte visus potentie, scilicet lumen gloriæ diuina conforans intellectum ad videndum Deum. Rursus ad 1. *Dicendum, ait, quod auctoritas illa (nempe 1. Ioann. 3. 2. Cum apparuerit, similes ei erimus) loquitur de similitudine, quæ est per participationem luminis gloriæ.* Manifestum autem est in eo testimonio Ioannis sermonem esse de similitudine intentionali, & propria speciei pertinentis ad intellectum; ut sola determinatio talis, vel talis speciei intellectus, obiecti scilicet, impressæ, vel expressæ, ad interpretem pertineat. Determinat verò ad speciem impressam D. Thomas dum reuocat eam similitudinem ad lumen, quod se tenet ex parte potentie intellectus. Clarius idem exprimit in art. 5. c. sine dicens: *Istud est lumen, de quo dicitur Apoc. 21. Quod claritas Dei illuminabit eam, scilicet societatem Beatorum Deum videntium.* Et secundum hoc lumen efficiuntur Dei formes, id est, *Deo similes, secundum illud 1. Ioann. 3. Cum apparuerit, similes ei erimus, & videbimus eum sicuti est.* Quibus ita exprimit identitatem speciei impressæ cum lumine gloriæ, ut non facile appareat, quò pacto potuerit clarius illam exprimere, nisi sub hac ipsa voce speciei impressæ; quam tamen neque affirmando, neque negando pronunciat vllibi D. Thomas, dum agit de hac materia.

Art. 4. Quapropter D. Thomas tū in præsentī, tū quæstione 10. de Verit. art. 11. In 4. dist. 49. q. 2. art. 1. lib. 3. contra gent. cap. 51. Quodl. 7. quæst. 1. art. 1. dum negat similitudinem creatam ad videndum Deum quidditatinē, & ut est in se, solum agit de similitudine obiectiua, quæ cognita immediatè ratione sui ducat mediatè in cognitionem Dei. Nec enim potest, nisi cum manifesta inconsequentia negare similitudinem creatam effectiuam visionis tenentem se in hoc genere ex parte potentie intellectus, & quæ, quin cognoscatur immediatè ratione sui, inuet ad cognoscendum Deum immediatè ratione sui, reddatque intellectum capacem, qui in hoc genere moueatur immediatè per essentiam diuinam. Huiusmodi namque similitudinem semel atque iterum affirmat quàm clarissimè sub ea ipsa voce in locis modò indicatis; & de eius necessitate, ac existentia, procul dubio putauit, dubitari minimè posse, ex quo pro certo ponitur, ac demonstratur necessitas, & existentia luminis gloriæ, ut ipse ponit, ac demonstrat in dicto art. 5. Certe rationes, quibus utitur in dicto art. 2. ad impugnandam similitudinem creatam Dei, ita sunt demonstratiue aduersus speciem obiectiuam, ut sint prorsus ineptæ aduersus impressam, nec possint ipsius repugnantia, nisi per absurdum accommodari.

Art. 5. In primis enim ratio dubitandi in argumento. *Sed contra* desumitur ex eo, quod visio Dei non sit cognitio specularis, & anigmatica. Quod nihil habet commune cum specie impressa. Quia hæc non inducit ad cognitionem sui obiecti, ut præcognita immediatè, & ratione sui; quod tamen est de conceptu anigmatis, & cognitionis specularis. Deinde conclusio in corpore ad probandum præfixa statuit, pro videndo Deo, requiri quidem similitudinem Dei ex parte potentie visus; at ex parte rei visæ, nec requiri, nec esse possibilem. Cuius conclusionis pars prior affirmatiua amplectitur speciem impressam, ut dictum est; posterior verò pars negatiua nullatenus tangit eandem; cum species impressa non inuet ad videndum, quatenus visæ, ac proinde non occurrat intellectui ex parte rei visæ. Et præterea ineptè distingueretur similitudo ex parte potentie, à similitudine ex parte obiecti, cum affirmatione vnus; & negatione alterius, si similitudo

ludo intrinsecè perficiens potentiam, eamque inuans efficiens, quod solum est munus speciei impressae, eo ipso esset directè, vel etiam indirectè similitudo tenens se ex parte rei visae. Inde enim fieret, vt prior pars conclusionis pugnaret directè, vel saltem indirectè, cum parte posteriori. Eadem consideratio aequè cadit in illationem, quam deducit in fine Corporis. Quae videlicet eodem prorsus modo exprimit, quod initio probandum propositum erat.

Art. 6. Prima ratio interposita conclusioni, & illationi ad probandam secundam partem negatiam, desumitur ex auctoritate Dionysij dicentis. *Per similitudinem inferioris ordinis rerum, nullo modo superiora, possunt cognosci.* Quod esset abs re, si ageretur de specie impressa creata Dei, vel sola, vel coniuncta cum obiectiua. Quia nemo ponentium talem speciem dicit eam esse similitudinem inferioris ordinis rerum, sed esse similitudinem solius Dei. Secunda, & tertia, eademque postrema ratio assumunt diuinam essentiam esse ipsum esse eius; esse aliquod incircumscriptum, continens in se supereminenter omnia intelligibilia; atque nihil creatum huiusmodi esse posse. Quod non minùs ineptè dirigeretur contra speciem impressam; quandoquidem apud omnes admittentes tales species, certum, ac manifestum est, non esse de ratione ipsarum, vt sint tantæ perfectionis, quanta est perfectio obiectorum, aut vt sint, in eodem cum ipsis gradu entis, & modi essendi physici, constitutæ; ac proinde speciem impressam Angeli, alteriusque substantiæ, non esse physice Angelum, aut substantiam, & ens per se, aut naturam intellectiuam; & sic de aliis. Ergo ex illis principiis, ne quidem apparenter inferri potuit directè saltem, & immediatè, vt infert D. Thomas repugnantiam speciei, de qua agit, repugnare speciem impressam Dei, sed ostendendum insuper fuisset esse de conceptu speciei impressae Dei, licet non sit de conceptu aliarum specierum impressarum, vt sit tantæ perfectionis, quanta est Deus; vtque habeat eundem modum essendi, quem habet Deus. Quod tamen non tentauit ostendere D. Thomas, quia ad scopum eius nihil attinebat, vt ostenderet; & quia ostendi nullo pacto potest: sicut nec ostendi potest id ipsum esse de conceptu visionis, representationis, & similitudinis intentionalis formalis Dei.

Art. 7. adde post prædictas tres rationes adiungi à D. Thoma præambulum istam illationem. *Vnde dicere Deum per similitudinem videri, est dicere diuinam essentiam non videri* (sed videlicet solam aliquam rem creatam.) *Quod est erroneum.* Quod nemo non videt, quam aptè cadat, quoad rem illatam, & quoad eius censuram, supra speciem obiectiuam creatam Dei respectu Beatorum; & tamen res illata minimè congruit speciei impressae Dei. Quia hæc species non inuenit videnti, vt visa, sed tantum, vt efficiens visionem obiecti à se distincti, cuius est species. Multo verò minùs inueni potuit censura tam gravis eidem speciei impressae, vel secundum se, vel secundum consequentias ipsius tam clare patentes, quam clare contendit D. Thomas patere eas, quas ipse deducit; cum hæc species asseratur existens à pluribus Catholicis DD. & à longè pluribus, vt possibilis, iidemque magna cum probabilitate respondeant ad omnia argumenta in contrarium. Adde rursus iidem istis rationibus vtique D. Thomam, & nulla alia quoad substantiam, dum impugnatur speciem creatam Dei, atque ideo nullibi impugnare voluisse speciem impressam Dei, sed solam obiectiuam; ne dicatur, quod dici non potest, absurdissimè tantum Doctorem contra illam disputasse. Verum eam vbique fuisse intentionem Sancti Doctoris apparet sponte absque vllius ponderationis adminiculo ex lect. 4. ad cap. 14. epist. 1. ad Corinth. Ibi enim circa illud; *tunc autem facie ad*

faciem producit aduersus speciem Dei creatam simul, & beatificam eandem omnes rationes nuper ponderatas, & concludit sic: *Vnde ponere; quod Deus videatur solum per similitudinem, seu per quandam resplendentiam claritatis suae, est ponere diuinam essentiam non videri.* Et præterea cum anima sit quadam similitudo Dei, visio illa non magis esset specularis, & enigmatica, quæ est in via, quam visio clara, & aperta, quæ repromittitur Sanctis in gloria, & in qua erit beatitudo nostra. Vnde Augustinus dicit hic in glossa, quod visio Dei, quæ est per similitudinem, pertinet ad visionem speculi, & enigmati. Sequeretur etiam, quod beatitudo dominis vltima esset in alio, quam in ipso Deo, quod est alienum à fide. Naturale etiam hominis desiderium, quod est perueniendū ad primam rerum causam, & cognoscendū ipsam per se ipsam, esset inane. Hæc ibi, ex quibus apparet clarè conatum Doctoris Angelici totum vbique fuisse aduersus solam speciem obiectiuam Dei, quæ cognita ratione sui duceret ad cognitionem Dei, vt obiecti mediati, ac materialis.

Art. 8. Neque hinc sequitur, quod nonnullos mouet, defectuosam esse doctrinam D. Thomæ; quasi nullibi egerit de specie impressa Dei. Agit enim de ipsa eamque affirmat, vbicumque agit de lumine gloriæ, ipsumque affirmat, vt apparet ex verbis eius supra ponderatis. Video, difficulter ad hoc credendum adduci eos posse, qui assuere magnæ æstimationi quæstionis de specie impressa Dei, post admissam necessitatem, & existentiam luminis gloriæ, & post reiectam possibilitatem speciei obiectiue Dei; & præterea sensim sine sensu, vel cum sensu blandiuntur sibi de similitudine sui cum D. Thoma in librandis momentis rerum Theologicarum; nec satis aduertunt discrimen initio notatum inter speciem creatam Dei obiectiuam, & impressam aut non valent retrahere intellectum ad statum rerum pro tempore longè priori, & apud Auctores antiquiores. Ceterum qui ad hæc omnia aduerterit animum diligenter, spero fore, vt facili acquiescat iis, quæ dicta sunt de mente D. Thomæ.

Art. 9. Id in contrarium mouere neminem debet, quo tamen maximè omnium mouentur plerique aduersarij, quod D. Thomas sapius, ac multipliciter vrget, præsertim in locis supra indicatis de veritate, & in 4. nempe nullum dari medium, vel vt quod, vel vt quo, per quod videatur diuina essentia, ipsamque diuinam essentiam esse, & quod videtur, & quo videtur; ac proinde solum dari medium sub quo, quod est lumen gloriæ. Hoc, inquam, neminem mouere debet; cum sit vsque adeo frequens apud D. Thomam, aliisque Auctores diuisio rationis formalis obiectiue concurrentis ad cognitionem, & visionem sui, quatenus visa, & cognita est, in rationem formalem, quæ & rationem formalem qua. Quo pacto dicitur communiter lumen corporale esse, quia vident oculi colores; Colores verò ipsos esse, qui videntur. Et eodem pacto respectu cuiusque potentiae, & habitus, dici solet ratio formalis qua, quæ est vniuersaliter respectu ipsius secundum omnes eius actus; ratio verò formalis que, quæ non est ita vniuersalis. Intentio igitur D. Thomæ est, excludere à visione Dei omne, & solum tale medium, dum excludit medium quod & quo, & in quo creatum; simulque admittere speciem impressam, dum admittit medium creatum sub quo; id est, lumen gloriæ, iuxta dicta.